



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt III. Dictae in coetu Generali sententiae super viginti vno capitibus de
morum correctionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

1563. possent occultis machinis ante lynceos oculos tot Oratorū; ad quod ministerium terreni Ioues opus non habent fabuloso Mercurio, Argi interfectore, sed illius operā, qui non minor Mercurio Argus sit.

C A P V T III.

Dicta in cœtu Generali sententiæ super viginti uno capitibus de morum correctionibus.

Quam iniquè accusata fuerit Synodus, quòd ipsa leges disciplinæ declinaret, comprobatur eodem ipso tempore feruentibus continuisque confessionibus, in quibus illæ cudebantur. Earum sententias hîc non affero, quæ tunc expensæ sunt: cum enim leges illæ varias in sententias sæpè mutatae fuerint, existimo, lectoribus haud gratum fore tot embryones adspicere: ex ipsis sententijs quoque, vt de more Historiæ legibus feruiam, & alios ab ea molestia liberem, quæ ab ordinarij prolixitate generatur, solùm eligam vtiliora, & iucundiora scitu.

^a Cænones, de quibus dictæ sunt hæ sententiæ, fuerant reformati, & propositi Patribus 5. Septembris; vt in Actis archiepiscopi Æliæ, & Paleotti: & in litteris Iadrensis sunt relatæ sententiæ secundum tenorem in Historia nostra descriptum.

Lotharingus, vt prior in dicenda sententiâ, ita pariter longior fuit, cum de cunctis articulis accuratè disseruerit. Sic exorsus est: Se non erubescere confiteri, numquam in eo loco locutum se fuisse animo turbatiore quàm tunc, dum intelligebat, iudicium à se prolatum iri de morum reparatione, quæ ad Episcopos potissime spectabat. Obijci memoriæ suæ, multò magis se in Aula quàm in Ecclesia fuisse versatum, magis que inter Principes ac Dynastas, sui Regis iussu, quàm inter Theologos; tamen ea se dicturum, quæ sibi conscientia suggestisset, propensiore sanè animo ad accipiendam ab aliorum sententiâ normam, quàm ad eam aliorum operibus præscribendam: ac in primis quidem non posse à se maximo-perè non commendari prudentiam & alacritatem Pontificis ac Legatorum, qui tam egregiè in eo negotio se gerebant.

In primo capite, vbi sermo erat de Episcoporum electione, petijt, vt vbi dicebatur, *dignos* esse eligendos, poneretur, *digniores*, quod postea maior pars comprobauit. Suasit, vt variæ adderentur diligentia ad exactam noticiam habendam, antequam quispiam ad illum gradum eueheretur, quandoquidem tam multæ statuebantur ad Ostiarij munus conferendum. Quoniam autem habebatur, cuncta *gratis* faciendæ; postea verò in syngrapha illius, qui à secretis erat, lectum est, particulam illam ^b fuisse deletam petente Lunensi, ne, sicut arbitror, detrimentum inferretur iuri Cardinalium,

^b Litteræ Iadrensis, 13. Septembris.

lium, Regnis patrocinantium, qui Ecclesiarum collationes proponunt in Senatu; dixit, Auferenda non esse emolumenta Cardinali proponenti, & vnius anni prouentum Pontifici; sed deliberandum esse de alijs lucris eorum qui nihil laboris impendebant. Interim verò eradi posse, sicut actum erat, vocem illam, *gratis*, donec Pontifex rei prospiceret. In quo ex transitu obseruauerim, Suauem, qui alioqui nullam præ se fert notitiam rerum, quæ tunc dictæ sunt, affirmare, Gallis placuisse, vt ex capite decimoquarto auferrentur *Annate*, quamquam postea res aliter euenerit: quod planè ridiculum est, cum Lotharingus, alijque complures, apertis verbis eas reseruarint, & numquam certè propositum in Conuentu fuerit, vt illæ tollerentur.

4 Præterea de primo capite censuit, de Cardinalibus caput seorsim conficiendum; cum par non esset, vt maior adhiberetur solertia ad Romanæ Rotæ Duodecemuirum, quam ad Cardinalem eligendum.

5 In quarto dehortatus est à tribuenda Episcopis facultate prohibendi omnino concionem cuius Regularium; satis esse, ipsis haud licere suis in templis concionari, nisi prius ab Episcopis examinarentur: & retulit, à quibusdam Episcopis hæreticis in Gallia vetitos fuisse Catholicos conciones habere.

6 In sexto capite, quod à Clericorum Collegijs immunitatem aufererebat, affirmavit, nullam pestem à se magis noxiam putari, quam huiusmodi immunitatem; cum plura membra sine capite monstrum euadant. Vnicam immunitatem æquam ac sanctam esse, illam nimirum, quæ quispiam eximitur à potestate Episcopi suspecti, vitâ perdurante. Immunitatis perpetuæ tres causas extitisse: Vnam peculiarem in Gallia fuisse auaritiâ cuiusdam Antipapæ, hoc est, illius Clementis septimi, schismatis tempore creati, qui inter veros Pontifices non connumeratur: vnde Lotharingus ita de illo loqui non verebatur, ab eo & ipsius successore huiusmodi beneficia fuisse diuendita. Aliam causam esse complurium Episcoporum socordiam, aut appetitionem pecuniæ, illis traditæ à Canonicis ad assensum præstitum compensandum. Tertiam, quod omnes Canonici præcis temporibus in Gallia monachi fuerant, quibus præerat proprius ipsorum Præsul, quo immunes Canonici haud regularesarent. Etenim Romanus Pontifex, vtpote nimis remotus, nequit eorum curam gerere per se ipsum. Eapropter friuolam adducit rationem, quod immunitas ab ipsa fundatione originem traheret: nam fundationis tempore Canonici erant monachi, suisque sum-

1563. mis moderatoribus subdebantur : magis adhuc friuolam esse possessionem omni memoriâ antiquiorem ; cum abusus inferre detrimentum non debeat bono vsui vetustissimo , qui præcellerat. Et sanè aut cunctis immunitatem esse concedendam , aut cunctis auferendam , aut ab omnibus ius commune seruandum. Nec adduci posse , ab immunitate Canonorum auctoritatem Pontificiam custodiri ; hæc enim ex eo non seruabatur , quòd delictis daretur immunitas. Placere sibi , ne quid agere liceret Episcopis sine Clericorum Collegijs , vbi Canonici eligerentur prout ius postulabat : sed id temporis sibi non probari , propterea quòd sæpe viles ac inepti assumebantur.

In nono , quod spectabat ad pœnitentias , auctor erat , vt à Pontifice constituerentur singuli in singulis prouincijs Pœnitentiarij , ad publicas pœnitentias imponendas secundum Prouincialium Synodorum decreta.

In decimonono , in quo agebatur de conferendis sacerdotijs , animarum curam habentibus , minimè comprobauit , ea per concursum impertienda , ne induceretur in Ecclesiasticos quoddam petitionis genus , quâ declararetur qui peteret esse dignissimus ; sed edictum vulgandum , quo monerentur omnes , vt si quis idoneum quempiam agnosceret , illum nominaret , postea verò eos qui descripti & oblati essent , examinandos , & eorum optimum eligendum : tamen hæc necessitas eligendi optimi inter eos qui subierint examen , aduersaretur commodo temporario Ecclesiæ Gallicæ , ac præsertim suo , cum ipse duo fortasse sacerdotiorum milia distribueret.

De hisce sacerdotijs animarum curæ addictis , dicit Suauis plurimum extitisse difficultatis , dum Episcopi studebant potestatem ea distribuendi sibi recuperare , cum graui Aulæ Romanæ detrimento : idcirco conatum esse Simonettam temperamentum reperire , quo illis fieret satis , & nihil Pontifici detraheretur , decernendo , vt sub specie concursus Episcopi ea Sacerdotia distribuerent pro suo arbitratu , & Roma lucrum ex diplomatibus sibi retineret. Hæc est Suauiana narratio. Sed in primis sciendum est , in tribus Synodi conuocationibus , ab Episcopis , & præsertim Hispanis , duo inter cetera fuisse proposita ad suam iurisdictionem reparandam : Vt Clericorum Collegia immunita sub Episcoporum auctoritate reponerentur ; & Vt sacerdotia curam animarum gerentia , ab Ordinario cunctis mensibus distribuerentur. Vtrumque Sedi Apostolicæ noxium agnoscebatur. Ex priore minuebatur admodum numerus eorum,

1563.

eorum, qui proximè illi subiecti erant; & experimento liquet, cui-
cumque superiori tutissimos & obsequentissimos eos esse, qui sunt
illis proximè subiecti, non magnæ notæ. Posterius auferebat ab
Aula Romana distributionem quamplurium sacerdotiorum in va-
rijs orbis Christiani partibus; & tamen alter cardinum, in quibus
veneratio Principum innititur, est ipsa facultas beneficia cõferendi.
Nec tantum Aula Romanæ detrimentum ex his duabus nouis fan-
ctionibus compensari videbatur ab euidenti Ecclesiæ utilitate: quin
in comperto erat, ab immunitate Collegiorum quodammodo træn-
num injci Episcopis, ne aut in fide aut in regimine præuaricaren-
tur: & expendebatur, quamuis distributio beneficiorum, salutem
animarum curantium, fieret ab Ordinarijs per certioremerito-
rum notitiam; hanc tamen notitiam comparari etiam posse varijs
modis à Pontifice, præcipuè verò cum eos eligebat, qui Romæ
degerent: & è conuerso, in Ordinarijs maiorem vim habituros
respectus timoris, spei, aliarumque affectionum, quàm in Pon-
tificæ, quæ ex ipsius amplitudine, quæ ex eiusdem longinquitate.

10 Equidem comperio de priori capite minorem duritiem in Ro-
manis Pontificibus. Quare, sicuti permiserunt Concilio, ut pluri-
mas alias immunitates aboleret; ita de ea Paulus III. monuerat
simpliciter Legatos suos, ne quid nouum huiusmodi moueretur
sine maturo consilio, & sine æqua trutina, qua Collegiorum ratio-
nes expendere post tam diurnam fundatamque ipsorum
possessionem; ac postea Synodus decerneret quod sibi luberet.
Nec etiam Iulius longè abstuit ut id permitteret, quemadmodum
constat ex ipsius epistola^d ad Crescentium Legatum, quæ simul
cum alijs pluribus mihi ostensa fuit à Francisco Palumbara, non
minùs animo quàm maioribus nobili, ad quem auiæ causâ deuen-
re cum hæreditate memorati Cardinalis commentarij; quique eo
libentius hanc mecum comitatem exercuit, quòd vir ipsius foro-
ris, Stephanus Pignattellus, inter selectos ac domesticos amicos
meos, virtute, assiduitate, beneuolentiâ præcellentes, meritò con-
numeratur. Sed postea maiori effectuum euidentiâ Pius IV. liberam
functionem iudicio Conuentus reliquit.

^e Vide lib. 9.
cap. 20. n. 6.

^d 26. Ianua-
rij 1562.

11 E contrario, de altero capite non nisi leuis sermo ætate Pauli ha-
bitus est^e, cum tantummodò ageretur, ne huiusmodi sacerdotia
cum animarum procuracione, darentur minùs dignis, nec nimis
potentibus, nec degentibus in Aula, nec aliâ curâ deuinctis. In
Iulij conuocatione^f, cum ea de re sermo increbresceret, scripsit ipse
ad Crescentium Legatum, Audiri à se nonnullos prænuntiantes,

^e Vide lib. 7.
cap. 2. num. 3
& 10.

^f Epistola
producta.

Tttt 3

cam

1563. eam Synodum, quippe magna ex parte Hispanis conflata, Tole-
tanam Synodum futuram, ad Hispaniæ commoda omnino conuer-
sam: se proculdubio numquam esse passurum, cum Regi potestas
inesset in cunctas Ecclesias Episcoporum & in cuncta cœnobio
Consistorialia, Episcopos eam adipisci in cunctas Ecclesias Pa-
rochorum, relicta solum Apostolicæ Sedi ex alijs sacerdotijs distri-
butione, cum Ordinarijs diuisâ secundum menses. Oratorem
Hispanum numquam secum de huiusmodi consilio collocutum:
quod si semel de eo colloqueretur, ita se responsurum, ut iterum
de eodem collocuturus non esset. Hi sensus in Julio fuere. Verum
Protestantium arma, quibus tunc Synodus interrupta est, rem ma-
turefcere haud permiserunt. De his actum est iterum in Synodo,
à Pio coacta. Pontifex verò variis ea de re consiliis propositis, quæ
suprà narrauimus, significauit in commune Legatis, & peculia-
riter Simonettæ, ut ab ipsis Concilio satisfaceret, nec ob eam cau-
sam cursus emendationis tardaretur; idemque antea scripserat
Borromæus ad Vicecomitem.^h

g Litteræ
Borrom. ad
Legatos 17.
August. &
ad Simonet-
tam 21. Au-
gusti 1563.
h Sygrapha
Borrom ad
Vicecomi-
tem 13. Au-
gusti, cui re-
spondet Vi-
cecomes per
aliam sy-
grapham
23. Augusti
1563.

Hæc de re suprà gesta. Vnde liquet, quàm procliuus ad id esset
Pontifex in publicæ quietis & gratificationis gratiam. Iam verò ex-
pendamus Suauis ratiocinationem de ijs, quæ, postquam huiusmo-
di facultas ab Aula Romana delata est, Patribus statuenda visa
sunt. Ac prin.ò quidem falsum est, Paræciarum collationem penes
Episcopos esse: hi enim obligantur, ut sententiis examinantium
inhæreant in reiiciendis ijs qui ab illis repudiantur; & etiam, ut
digniores inter comprobatos anteferant. Quare videmus interdum
eos qui posthabiti sunt, prouocantes ab iniquo Ordinarij iudicio,
& in lite victores. Præterea non satis callebat Suauis utilitatem aut
damnum Principum, si solo pecuniæ lucro aut iacturâ ea ponde-
rabat. Hac ratione idem esset Pontifici Bononiæ possessio, quod
reditus annuus sex millium scutorum ex alijs fundis, illius loco.
Hæc, igitur regula mercatores metitur, non Principes, qui à
dominio Dominantes dicuntur. Quamobrem qui lumen rectæ ra-
tiationis obtinet, probè intelligit, quàm graui iacturæ consen-
serit Pontifex ut Ecclesiæ bono consuleretur, cum abdicauit à se
facultatem, pro suo arbitratu conferendi sacerdotia, curandis anti-
mis addicta, quæ per octo anni menses vacant in tot Prouincijs
Christianæ Reipublicæ; & cum Aulam Romanam priuauit eâ fre-
quentiâ, quam secum ferebat concursus tot hospitum Ecclesiasti-
corum, quibus opus erat, ut illic sui specimen darent ad ea sacerdo-
tia suis in regionibus obtinenda.

Sed

13 Sed vt ad sententiam Lotharingi regrediamur, ferè omnibus placuit quod in ea habebatur, sanctionem peculiarem ac seiunctam de Cardinalibus edendam esse; sicut è contratio perpauci opportunum existimarunt, vt eorum numerus restringeretur¹, pro eo ac Cæsari probabatur.

14 Helius Hierosolymitanus Patriarcha, qui secundo loco sententiam dicebat, in secundo capite suavit, ne omnes Collegiorum Ecclesiasticorum immunitates tollerentur. De aliis immunitatibus id sibi probari, sed non de ijs quæ illas possidebant aut ex fundatione, aut ex concordia, quam partes iureiurando firmarant, & Sedes Apostolica comprobat. Id agendum non esse inauditis aliorum rationibus, ne se ostenderent Episcopi iudices sibi addictos; cum earum pleræque concessæ fuerint à Gregorio VII. & Innocentio III. viris sapientissimis.

15 Archiepiscopus Hydruntinus in primis cohortatus est, vt cum fas non esset vlli potestati potestatem Pontificiam coarctare, apponeretur vniuersalis clausula, *saluâ in omnibus Apostolica Sedis auctoritate*. In decimo octauo reiecit prohibitionem plura sacerdotia obtinendi, affirmans, id repugnare capiti, *De multa*, & Concilij Lugdunensi & Lateranensi: idem æquaturum sacerdotiorum possessores numero, non æstimatione sacerdotiorum, & multos nobiles dehortaturum ab Ecclesiastica vita ineunda.

16 Granatensis in nono Lotharingi sententiam laudauit de constituendo *Penitentiario* in singulis Episcoporum Ecclesiis.

17 Verallus in quinto, vbi præcipuè lex ferebatur de causis criminosis aduersus Episcopos, petiit, vt earum commissiones extra Urbem manu Pontificis signarentur; monuitque, earumdem cognitionem spectare ad Synodos Prouinciales, prout imperabat Canon, *Quorumdam*, distinct. 24. & Can. *Quamuis*. 6. q. 2. tametsi postea sententiæ pronuntiatio ad Pontificem nõ spectaret. In decimonono improbauit, habendam esse ab Episcopis, & à Pontifice electionem ad Paræcias ex iudicio examinantium; cum fidendum non esset aliorum conscientie in animarum cura demandanda. In vigesimo primo, vbi cuncta prima iudicia concedebantur Ordinariis, optauit, vt causæ magni momenti exciperentur.

18 Mutius Callinus Archiepiscopus Iadrësis, in primo capite opinatus est, Episcoporum examen esse instituendum (quod post multos annos Clemens VIII. fieri iussit) & decernendum, ne quispiam à Pontifice ad Episcopatum promoueretur, nisi prius ad id comprobatus ab Episcopo suæ dioceseos, aut ab Legato Apostolico illius Prouinciæ.

Archie-

¹ Litteræ
Cæsarianorū
ad Cæsarem
8 Septemb.
& Legatorū
ad Pontificem
30. Septembris,
1563.

1563.

Archiepiscopus Bracarenfis in sexto diffenfit ab Helio in excipiendis immunitatibus ex fundatione, dicens, hoc ipsum idem esse, ac nihil curare monstrum enatum cum pede adnexo ipsius capiti, aut non corrigere institutionem nosocomij, quod eâ ratione conditum esset, vt à medico numquam inuiseretur.

Contrà verò Gaspar à Fosso Rhegiensis Archiepiscopus obstitit, ne vniuersè delerentur immunitates Collegiorum; ob oculos positis clericorum Collegiis in Germania, vbi multi Episcoporum defecerant, sed nullum ex Collegiis.

In hac disputatione de immunitate, aliqui ex Patribus Lunensis operam perstrinxerunt de Procuratore Collegiorum Hispaniensium, alij verò eandem propugnarunt.

Antonius Augustinus Leridensis Episcopus questus est, auditam à se fuisse quorundam vocem, perinde ac si planè in angulis Germaniæ degerent, Synodo potestatem non inesse ad leges sanciendas, quibus Principes obligarentur; quasi huiusce rei vsus Sedi Apostolicæ & antea Conciliis perpetuus non fuisset, & luculento Historiarum testimonio minimè confirmatus. In primo articulo censuit, neminem inter Purpuratos Patres esse cooptandum, qui aut frater, aut ex fratre nepos, aut sobrinus esset alterius Cardinalis, aut ipsius Pontificis, nec plures quàm duos ex eadem provincia. Et præterea, ne munera ob collationem Purpuræ vacarent, hortatus est, vt suauiter cum Principibus ageretur: sicut enim dictum est, *Nolite ad iracundiam promouere filios vestros*; ita cum Synodus indigeat Principibus, qui eius Decreta exequantur, opus erat vt ipsos sibi beneuolentes haberet.

Facchinettus Neocastrensis Episcopus, ex primo desumpsit oportunitatem monstrandi, ea incommoda, de quibus Orator Gallicus conquestus erat, orta esse in Gallia præcipuè à Rege, & à facultate, quam ille obtinebat, concedendi prout sibi libebat sacerdotia.

* Exstat in
eiusdem A-
ctis.

Salmanticensis sermone suo plurimum temporis occupauit. Præmisit, à se Deo grates agi, quòd tempus aduenisset Ecclesiam spectantibus hæreticis reconcinnandi, eorumque in Concilium calumnias conuincendi; cum præsertim in ordine Ecclesiastico moram emendatio inchoaretur exemplo Synodi octauæ Toleranz: quisquis enim seipsum corrigit, & auctoritatem & facilitatem consequitur ad alios corrigendos. In propositis Decretis sibi generatim displicere prolixitatem aduersantem & consuetudini veterum Synodorum, etiam in grauissimis argumentis, & præsentis decoro, & etiam

etiam subiectorum quieti : siquidem quot verba , tot litigiorum semina multiplicabantur. In primo capite , neutiquam sibi probari vocem illam *gratis* , de actis quæ conficiuntur vt quispiam ad Episcopatum assumeretur : etenim quamquam Sacramenta sine pretio sint administranda , tamen antegressi labores ministrorum pretium postulant. Et quod spectabat ad emolumenta Cardinalium , qui Ecclesias in Senatu proponebant , quando ipsis tunc adimebantur cuncta sacerdotia salutem animarum curantia , exceptis Episcopatibus , æquum non esse , consuetis emolumentis illos priuari. In tertio , se consensurum negavit articulo valdè controuerso , sicut postea narrabimus ; nimirum , à Metropolitibus inuisendas esse dioceses suffraganeorum : esse id inauditum in Hispania , & plura prævideri detrimenta tum ex diuturna absentia Metropolitanarum à suis Sedibus , tum ex multiplicatione onerum minoribus sacerdotiorum possessoribus , quibus conferenda esset pecunia in sumptus tum Archidiaconorum , tum Episcoporum , tum Archiepiscoporum , ipsos inuisentium : posse huiusce rei vice cunctis satisfieri per Synodos Prouinciales , quæ tertio quoque anno imperabantur in primo capite. De quinto , commendauit , vt renouaretur Canon tertius Synodi Sardicenis , propositus ibi ab Ofio Episcopo Cordubensi , & per ingentem plausum exceptus , ac postea relatus in Can. *Ofius* 6. q. 4. & confirmatò à Sixto III. hoc est , causas Episcoporum ad Romanum Pontificem deferendas esse. In sexto , acriter inuectus est in Collegiorum Ecclesiasticorum immunitatem , ostendens , eam discordiæ & corruptelarum fontem esse. Censuit tamen excipiendum Complutense , in quo cum eo consensere complures Hispani Præsules : non quidem , aiebat Mendoza , illam exceptionem à se proferri quòd ipse illius Academiae alumnus esset , neque quòd eius fundator Ximenez Cardinalis , Tolletanus Archiepiscopus , instituerat Mendozas perpetuos illius dominos ; sed in primis , quòd illa tot illustrium virorum esset patrens , quorum multi ea in Synodo numerabantur. Deinde , quòd cum Canonice illius Collegij non poterant alij conferri sanctionum dignitate ; quippe quòd necesse erat eos esse Theologos , Doctores & Magistros in liberalibus disciplinis : ijdem consueuerant dare operam quouis tempore concionibus , prælectionibus , confessionibus , ac disputationibus ; numquam otiosam , semper tamen quietam vitam agentes , eximiaque virtutis specimen exhibentes. Quapropter cum clarissimus ille Cardinalis eorum fundator voluisset illos immunes , tametsi ceteroqui eius Episcopatu subiecti fuissent ;

1563.

fuiſſent; cumque ſingulos annos inuiſerentur à Rectore illius Academiae, cui plurimum ſplendoris vigorisque deuiſſet hac prerogatiua deperditâ, Patres hortabatur, ne Academiae adeo de Eccleſia benemeritæ damnum inferrent. In decimo nono, pluribus comprobauit, curas animarum per examen demandandas; teſtatus, experimento conſpici in Hiſpania, præſtantes Parochos eſſe qui hoc pacto ſeliguntur: ſibi tamen diſplicere concurſum, utpote ſtimulum ad æmulationes, ad ambitioſos conatus, ad odia. Idcirco videri ſibi, ad maiorem Cleri pacem & Episcoporum dignitatem conferre, ſi ad hos pariter extenderetur id quod præſcribitur Dominis Paræciarum; hoc eſt, ut eum eligerent, qui poſtea examinantium iudicio idoneus eſſet declarandus, aliter electio in irritum caderet: & quod amoueretur omnis ſuſpicandi ratio, probatum iri ab examinantibus non idoneos, in gratiam Ordinariorum; cauere iſdem examinautes, ne præter iuriſiurandi vinculum illius familiares eſſent.

Melchior Auoſmedianus Episcopus Guadicenſis, exulceratus, ut in Actis ſuis refert Salmanticensis, ob illatam ſibi offeſam ab ijs quos illi Romanos appellabant, opportunitatem arripuit diſſerendi, prout argumentum ferebat, de Ordine; ratiſque ſe nunc muniri quaſi vallo, Oratoris Hiſpani præſentiâ, ſtudit ſe vindicare: captoque argumento ab ea voce *gratis*, de collatione Episcopatus, de qua voce Lotharingus aliisque variè diſputarant, ſermonem habuit, quo ardentè inuectus eſt in Magiſtratus Romanos, productâ notâ pecuniæ, quam neceſſe ipſi fuerat ſingulis perſolui ad obtinenda Pontificis diplomata. Quod quemadmodum vitium eſt ab animi perturbatione, non à religionis ſtudio profectum, ita non parum moleſtum accidit reliquis Hiſpanis, & ipſi etiam Lunenſi, cum animaduertent, inde non niſi inuidiam ſuæ nationi conſari.

Sed Paulus Iouius Episcopus Nuceriens, qui proximè verba fecit, dixit, Guadicenſem locutum fuiſſe ſecundum conſcientiam, non ſecundum ſcientiam; cum fas non ſit ſubtrahi emolumenta, & ea quibus opus habet, ad congruentem ſibi vitam ducendam, vniuerſalis omnium Eccleſiarum Paſtor. Quemadmodum reus maiſtatis accuſaretur iſ, qui affirmaret, auferenda eſſe Principibus laicis ipſorum tributa; ita reum multò grauioris iniuſtitie illum eſſe, qui Eccleſiæ Principi & Chriſti Vicario vult auferre fructus ipſi debitos à ſingulis Eccleſijs ex iure, ex æquitate, & ex conſuetudine.

Ioan.

27 Ioannes Baptista Sighicellus Bononiensis, Episcopus Faentinus, vehementer institit, ne Collegiorum immunitates abolerentur, aitque: Si tantum detrimenti attulissent in Hispania, quantum Hispani Præsules amplificabant, neque Calistus, natus in Hispania, neque Adrianus, Episcopus olim in Hispania, eas tolerassent: profecto Germaniæ Galliæque illas prodesse, ne vnus Episcopi præuaricatio in Fide satis esset ad Ecclesiam suam euertendam.

28 Vanzius Vrbeuetanus Antistes, dum refelleret Guadicensem, monuit, munera Romæ venalia, esse veterrima, & ante Pontificatum; vt constabat ex vltimis libris Codicis, *lege primâ §. Nec castrense. de collatione bonorum, & leg. fin. Cod. de pignoribus, & leg. fin. Cod. de silentiar. & leg. Omni modo §. Impetrare. Cod. de inofficis. testam.* Ea postmodum à Constantino Sedi Apostolicæ fuisse tradita, secundum Canonem, *Constantinus 96. distinct. & Canonem, Futurum 16. q. 3.* Præterea, fuisse præscriptum ab Innocentio III. vt Apostolicis litteris postrema manus admoueretur à quibusdam Magistratibus, vixillis à fraude cautum esset, *Cap. Dudum. & Cap. Licet. de crimine falsi* His Magistratibus mercedem laboris esse soluendam: alijs ministris honorarijs dandam esse portionem quamdam ex annuis prouentibus, Pontifici Romano debitis etiam ex iure Ciuili, *Authent. de sanctissimis Episcopis. §. Iubemus.* cui propterea licet pro suo arbitratu ea donare. De vigesimo primo, quod ad prima iudicia exercenda spectabat, cupiebat, vt exciperentur causæ miserabilium capitum, quibus permittitur instituere primum iudicium in maxima Curia, secundum celebrem legem vnica; & clarissimorum capitum, secundum legem primam, *cod. Vbi Senat. vel clar. & omnium Curialium, ex lege prima, Cod. de Curial. Urb. Rom. & causæ beneficiales, leuioribus exceptis, Cap. per venerabilem. §. Igitur qui filij sint legit.*

29 Vincentius Iustinianus Generalis Magister Prædicatorum plurima differuit de quarto capite, quo Regularibus libertas concionandi auferebatur. Eam ipsis fuisse traditam ab Oecumenica Synodo Viennensi, ex Clementina, *Dudum de sepult.* nullum inde detrimentum inferri Episcopis, quibus licebat eos amouere ac punire, si quando errores prædicarent; nec esse obstruendum os homini, qui per illud Dei verbum disseminat. In nono, repugnauit Pœnitentiario, à quibusdam proposito; obiecitque, neminem ausurum fuisse ad huiusmodi Sacerdotem accedere, ne se grauiorum noxarum reum puderet, quæ ipsius foro referuantur.

30 Vltimo loco Lainius verba fecit die secundo Octobris. Monuit,

1563.

ne vlllo pacto omitteretur particula, cuius auctor fuerat Hydruntinus, *saluâ Sedis Apostolicæ auctoritate*. Hanc sacrosancam Sedem duplici ratione considerari, secundum spiritum, & secundum carnem; nimirum, tamquam domicilium charitatis & religionis, & tamquam fontem temporalium bonorum. Vtramque prærogatiuam esse in ea detinendam, quò in pretio habeatur etiam apud minus perfectos: posterior enim ad priorem exercendam opem ferebat, ac viam parabat. Duo à se studia erga sanctam Sedem animaduerti: alterum, cuiusmodi erat in sancto Bernardo; alterum, cuiusmodi in hæreticis: ab illo ad suum caput reduci, & cum eo coniungi quæ aberrauerant; ab hoc seiungi res ab vnitatem, ac longe repelli. Tria generatim expeti à se in propositis Decretis, maiorem breuitatem, minorem correctionem antiquorum Canonum, & sanctiones facilioris executionis. Quod spectabat ad postremum, in hoc differre legem à Deo, & legem ab hominibus latam. In prima tantâ moderatione opus non est, propterea quòd legislator ipse vires suppeditat ad eam custodiendam: ac verò secunda normam capere debet à viribus quæ adsunt, cum eas augere non possit in subditis auctor legis. Obseruauit, Ecclesiasticos non accusari ab aduersarijs ob defectum, sed ob violationem bonorum Canonum. Videri sibi, reliquorum omnium humeros premi, Episcoporum humeris ne tactis quidem. Contineri in illis disciplinæ legibus multa aduersus Pontificem, Cardinales, Archidiaconos, Canonicos, Parochos regulares; aduersus Episcopos nihil. His vniuersè propositis, ad peculiaria descendit, & in quinto capite, vbi de Synodis Prouincialibus agebatur, considerauit, eas difficulter costum iri; subsecuturas tamen proprias Nationum Synodos cum graui Ecclesiæ periculo. Sibi non probari certum tempus Oecumenicis Concilijs præscriptum; hinc enim speciem obtenturos contumaces ad prouocandum à sententijs Romani Pontificis ad futurum Concilium, sublatâ obedientiâ & vnitatem Christianæ Reipublicæ. De sexto, ad immunitates pertinente, censuit, non cum omnibus Cleri Collegijs eodem pacto agendum: Hispanica Episcopis subdi posse, vtpote integritate vitæ præstantibus, idque Philippo Rege cupiente. Aliam rationem ineundam esse, vbi Episcopi essent hæretici aut infames, & Principes laici dehortarentur. Institit, vt per leges consuleretur Episcoporum supellectili, modo quo hi cum consanguineis se gerebant, & quo pacto his sacerdotia essent elargituri; ne admitterentur translationes Ecclesiarum, quæ ad declinandam mansionem laboremque haberentur. De pensionibus de-

cretum

1563.

cretum ederetur, quo in ita fierent iniustæ; nec in posterum illæ, nisi rationi consentaneæ, concederentur. Vnicum vni sacerdotium conferretur, vbi esset sufficiens; nec sufficientis rationem petendam esse ex nobilitate personæ, sed ministerij, cui sacerdotium destinatur: nam Ecclesia non dirigitur ad ministrorum vtilitatem, sed ministri diriguntur in Ecclesiæ vtilitatem. Licere alicui plura sacerdotia possidere cum Ecclesiæ emolumento; exempli gratiâ, cum defant plures Pastores idonei, aut cum propter sanctitatis litterarumque præstantiam magis vnus prodesse potest quàm plures.

31 Absolutâ disputatione de viginti & vno articulis, supererant reliqui exagitandi, ac præcipuè articulus de Principibus: sed postrema Cæsaris responsa nondum peruenerant. Compertum iam erat Patribus, quantâ acerbitate hic articulus à Gallis impugnabatur: nec latebat repugnantia, nihilo remissior, tametsi modestior, magisque obiecta, Lunensis, qui per eos dies acerrimè vrgebat agitatum declarationem particulæ, *proponentibus Legatis*. Accessit die quarto Octobris Oratorum Venetorum postulatio, exponentium Legatis. Cum ipsorum Respublica semper libertatem & immunitatem Ecclesiæ sacris tectis seruauerit, profectò nullam à se materiam exhibitam fuisse Decreto, quod de Principibus parabatur; proinde reuerenter à se peti quorundam dierum dilationem, quò ipsi docerentur à Senatu, quid à se proponendum esset, ad sua priuilegia, consuetudines, ac generatim ad suam auctoritatem conseruanda; ne vniquam dici posset, Principi obsequenti, ac singulariter benemerito de Sede Apostolica, illatum fuisse detrimentum, eodem non prius audito.

1 Litteræ Legat. ad Borrom. 4. Oct. 1563. & postulatio erat inter monumenta Gualt. 7 Octob.

32 Hanc Venetorum petitionem vt res protraheretur, subsecuta est altera similis petitio Cæsarianorum, qui dixerunt, Velle se super eo negotio solemniter rogare Concilium, & ab eo, qui Oratori Hispano à Secretis erat, postulatum communi nomine expositum iri: Gallum quoque sese ad id obtulisse; sed ipsos, postquam eius contestationes audierant, noluisse in ea re cum illo locitatem.

33 Coniuncta tot Oratorum eodem tempore postulata, tandem impulerunt animos Præsidentum, adhuc suspensos; cum apud se reuoluerent, si in huiusmodi conditionibus ipsi indulgerent, non imbecillitati tribuendum, sed potius pertinaciæ ac temeritati si repugnarent. Idcirco omisâ publicâ recitatione earum petitionum die octauo Octobris, primus Legatorum ita disseruit: Si quod appeti potest, idem simul esset ac quod fieri potest, opus

m Litteræ Legat. ad Borrom. 4. & 7. Octob. 1563

n Non 7. vt dicit Saauis.

Vvvv 3 haud

1563. haud futurum fuisse inter ipsos consilio °: sed infelicem tempo-
 rum conditionem postulare, vt vice maximi boni minimum ma-
 lum eligeretur. Destinasse prius Legatos, vt expensis viginti & vno
 articulis, ad reliquos gradus fieret, ac præsertim ad trigefimum
 quintum de Principibus. Verùm, pro eo quod Patribus in com-
 perto erat, iam à cunctis Oratoribus, quâ deprecationibus, quâ
 denuntiationibus, ad alia consilia se compelli. Eisdem Oratores
 profiteri, se nihil velle quod immunitati ac libertati Ecclesiæ ad-
 uersaretur; sed solum petere temporis spatium in articulo adeo
 graui, ad suas consuetudines purgandas, & ad sua iura ac priuile-
 gia palàm proferenda. Videri, secundùm rectam æquitatem, negari
 non posse Principibus Catholicis id quod vel ipsis hæreticis in-
 dulgeretur: & ex altera parte conspici, tempus illis conceden-
 dum tam breue esse non posse, vt interim otium Synodi sine gra-
 uissimo detrimento contingeret. Legatos igitur existimare, posse
 interim celebrari Sessionem de argumentis Matrimonij iam per-
 pensis, & de vigintivno articulis legum discussis. Quod si fortè
 fieri posset, vt præueniretur præstitutus Sessioni dies, reparato
 aliqua ex parte dedecore superiorum prorogationum, sine dubio
 patefactum iri falsitatem vulgatæ calumniæ; ex odio videlicet
 emendationis caput illud de Principibus prætermisum fuisse, quò
 ipsi, abhorrentes ab emendatione sua, desisterent ad emendationem
 Ecclesiasticorum Patres extimulare: hoc pacto tot rerum capitibus
 absolutis, in alia Sessione ad Synodi finem tam optatum & tam op-
 tabilem deueniri posse. Quod si quis obex aliorum culpâ injiceretur,
 liceret Patribus intrepidâ fronte ab opere manum amouere,
 cum officio suo fecissent satis in plurimis, promptumque animum
 in reliquis præ se tulissent. Denique bonum, quâ parte nostra est
 in manu, numquam esse retardandum; opportunitates enim illius
 perficiendi breues raræque contingunt. Ponderarent has rationes
 Patres: sicut munus erat Præsidorum eas proponere, ita partes esse
 Concilij, iudicium ferre. Accommodata certè ratio, quâ ij qui
 præsumunt, propositiones claudant molestas Conuentibus, qui liber-
 tatis suæ maximè solliciti, tunc se magis liberos ostentare cupiunt,
 cum magis se cogi sentiunt.

Varia fuerunt opinamenta, & complures ardentè obstiterunt, &
 sed maior pars voluntatem potentæ accommodantes aut disertè
 consenserunt, aut certè dixerunt, Legatorum conscientia se re-
 mittere. Hinc progressi sunt ad delectum eorum, quibus nego-
 tium datum est emendandi Canones ac Decreta secundùm sen-
 tentias,

tentias, quas audierant in confesso: illæ verò tam iteratæ vociferationes, vt haberetur delectus per æqualem singularum nationum numerum, obmutuerunt; adeoque absque vilo certamine Legatis electio concordie voce commissa est. Siue quòd Lunensis, qui vnicè, si non desiderio, certè animi ardore postulatum illud promouerat, opportunius dignitati suæ putaret, incertæ pugnæ se non committere; siue quòd intelligeret, in eum, qui multas eodem tempore lites intentat, communem præsumptionem in omnibus contra se militare; & summorum etiam Principum morem esse, plura simul bella non inferre, ne in singulis victos sui postea pœniteat.

CAPVT IV.

Ratio inita ad celeriter componenda Decreta, quibus maiori parti satisfaceret. Voluntas Cesaris ac Romanorum Regis de conclusione Concilij, etiam si repugnarent Hispani. Consilia super eo à Delfino data Morono, & ab hoc Pontifici. Cesaris notæ de Decretis postremò reconcinatis. Eiusdem sensus de Principibus reformandis. Discessus Ferrerij. Querele Tridenti, de collationibus à Pontifice quibusdam factis, operâ Lotharingi.

A Deò variant^a, ac de tam multis rebus verbisque, eorum sententiæ, qui mutationem in exemplo Decretorum postulabant, vt ne inueniri quidem posse videretur non modò quod cunctis satisfaceret, sed etiam quod maior pars vellet. Itaque selecti ad id Patres in tres cœtus diuisi sunt, qui coram tribus Cardinalibus, Osio, Simonetta & Nauagero, habebantur; in quorum singulis expenderetur vtraque pars sententiarum, quæ scripto tradebantur à singulis Patribus; ne quid inesset ambigui, aut præmitteretur: in quæ vitia facilè prolabantur festinata compendia eorum qui à Secretis sunt. Ibi in quolibet ex vigintivno Decretis multa loca communia considerabantur, in quibus versabatur sententiarum varietas; quæ loca trigessimum planè numerum in quibusdam pertingebant, & super eorum singulis deprehendebantur singulorum Præfulum iudicia: ita vt quilibet ex tribus cœtibus simul colligeret summam sententiarum, quæ ipsis committebantur. Postea duo Patres in singulis cœtibus selecti sunt, qui peculiare indices inter se conferrent, & vnicum conflarent vniuersalem de singulis locis communibus; atque ita reperirent quodnam fuisset

^a Acta Pa-
leotri, & lit-
teræ Iadrenf.
14. Octob.
1563.